



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

7. Januarij. Vnusquique persuasum habeat: tantùm se in spiritalibus profecturum, quantùm ab amore sui, & commodi proprii affectione sese subtraxerit. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 22.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

7. Januarij.

Unusquisque persuasum habeat: tantum se in spiritualibus profecturum, quantum ab amore sui, & commodi proprii affectione sese subtraxerit. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 22.

Nemo potest duobus Dominis servire, unum ex iis odio habebit, & alterum dilget. Cor divisum esse non potest. Partem Deus non accipit, si eam terrena gravent, & inficiant.

Hæc unica torporis nostri causa est, quòd ita diligamus Deum, ut nosmetipsos non omnino aspernemur, hoc est: partem in utramque claudicamus, & ideo tam lento, tamque incerto pede ad æternorum amorem assurgimus.

Ut ovum à sole non attrahitur in sublime, nisi vacuum; nec lignum flammam concipit, quàm diu est madidum; ita quò minus anima corporalibus adhæret, eò rationis, divinorumque capacior, & magis sua, est.

Irrationalis, brutusque appetitus quam diu penitus extinctus non est, semper ad

versus rationem, & sanctiores affectus insurgit, & nativo pondere ad ima retrahit, Resolutione opus est, ut ex toto in spiritualem convertatur.

8. Januarij.

Non potest fieri quid dignum Deo, quin vel mundus tumultuetur, vel infernus turbas creat. S. Ignat. apud Nolar.

Semper infestæ luci sunt tenebræ, nec bonos inter & malos firma coalescit amicitia, Ut vermis fructus magis maturos, ita malitia eos plerumque arrodit acerbius, qui meliores.

Certum bonitatis indicium est, malis displicuisse; vituperium foret à talibus amari, & commendari. Nihil pensi habe, si de te ii loquantur malè, qui nihil faciunt bene.

Nec censeri debet malum, unde meliores fimus. Cos ista virtutis est. Non parùm juvant mali probos, dum persequuntur; augent patientiam, merita cumulant.

Quid times? nec mundus, nec infernus totus quidquam in te possunt! ubi plura sunt obstacula, ibi abundantior est Dei gra-